

CXC VII.

Anno 1618. 15. Calendas Julias. Posonii.

Diploma assecurationis a Ferdinando II. Rege Statibus et Ordinibus Regni Croatiae & Slavoniae seorsim datum.

Nos Comes Sigismundus Forgach de Ghymes, Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum nec non Comitatum Neogradiensis, Sarosiensis et de Zabolch Comes, ac Sacratissimi Principis et Domini Domini Mathiae, Dei Gratia Electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae &c., Intimus Consiliarius et per Hungariam Locumtenens. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis et singulis. Quod Reuerendissimus Dominus Petrus Domitrouich, Episcopus Zagrabiensis, Beatae Mariae Virginis de Thopuzka et S. Georgii de Diaky Ecclesiarium Abbas, ac Sacrae Caesariae Maiestatis Consiliarius, exhibuit et praesentauit nobis Serenissimi Principis ac Domini Domini Ferdinandi, Hungariae Bohemiaeque Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae &c. Domini similiter nostri Clementissimi, litteras quasdam in papyro Regali patenter confectas sigilloque et manus subscriptione eiusdem Serenissimi Principis ac Regis communitas, petens nos debita cum Instantia, quatenus nos dictas Serenissimi Principis ac Regis Domini Domini nostri Clementissimi litteras transumi et aliis Litteris nostris similiter patentibus inseri et inscribi, insertasque et inscriptas eidem tradere dignaremur. Earum uero litterarum tenor talis est: Nos Ferdinandus Secundus, Dei Gratia Hungariae et Bohemiae Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Würtembergae, superioris et inferioris Silesiae, Marchio Moraviae, superioris et inferioris Lusatae, Comes Tyrolis et Goritiae. Memoriae commendamus et notum facimus, quibus expedit vniuersis. Quod, cum nos Generali Congregationi Inclytorum Statuum et Ordinum Regni Hungariae et Partium ei annexarum, ex edicto Sacrae Caesariae Regiaeque Maiestatis Patruelis et Patris nostri obseruantissimi ad quartum diem proxime preteriti mensis Martii in Ciuitate Posoniensi vltimatim promulgatae, ex benigna eiusdem Caesariae Maiestatis voluntate praeessemus. Iidemque Status et Ordines praedicti Regni Hungariae ac Partium ei annexarum ex singulari et paterna Suae Caesariae Maiestatis erga nos beneuolentia et amore Nos in futurum ipsorum dominum et Regem vnanimi consensu rite elegissent, extunc iidem Status et Ordines Regni certa quaedam grauamina ipsorum praefatae Caesariae Regiaeque Maiestati ante felicem Coronationem nostram sub praesenti Diaeta iuxta Diploma eiusdem Caesariae Maiestatis praedictis Statibus datum effectiue tollenda humilime porrexissent, ex quibus quaedam Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclauoniae grauamina, vt pote Conclusionibus Viennensibus et aliis Articulis Annorum subsequentium comprehensa, ad debitum effectum neque per praefatam Caesariam Maiestatem, neque